

V. *Crystalloꝝ quarundam rarissimarum nuper detectarum descriptio, ex literis Viri Cl. Johannis Jacobi Scheuczer, ad Dominum Hans Sloane, Bar. Reg. Soc. & Coll. Med. Lond. Præsidentem.*

**I**N summis *Grimfulæ* jugis, paucis abhinc annis detecta est, nunc exhausta, in saxo medio, crystalloꝝ vena, quibus nec majores, nec puriores, vidit fortè orbis. Maxima earum pars, ad 60 circiter centenarios, in manibus est *D. Frisching* pastoris *Hasleani*, venales omnes, sed pretio, quod ex sequentibus patebit, haud vulgari, quod fortè, præter puritatem, excusat rara magnitudo. Præcipuarum en, quam nuper ab ipso expetii possessore feriem!

Num. 1. Duorum vel  $2\frac{1}{2}$  centenariorum, longa 2 ped.  $9\frac{1}{2}$  dig. Peripheria 3 ped.  $7\frac{1}{2}$  dig. limpidissima, hexagona. Pretium libræ  $1\frac{1}{2}$  Ludov. aur.

N. 2. Pondus 136 lb, longit. 2 ped. 3 dig. Peripheria 2 ped. 9 dig. Purpuras quasdam habet ad marginem, purissima cæterum. Pretium libræ 1 Ludov. aur.

N. 3. Pondus 135 lb, longit. 2 ped. 4 dig. Peripheria 3 ped. 2 dig. limpidissima, excepto apice; pretium libræ 4 Floren.

N. 4. Pondus 96 lb, longit. 2 ped. Peripheria 2 ped. 9 dig. pretium idem.

Ita descendendo pergit ad 10 librarum pondus, qualitatis, proportionis, pretii varii.

VI. *An*